UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Censvræ Et Invectivæ Ex Mvltis Aliqvot In Sanctos Patres Et Ecclesiæ Doctores, In DD. Scholasticos Tam Antiqviores Qvam Recentiores, Nominatim In Primarios Societ. ...

Bivero, Pedro de

Antverpiae, 1641

Coronis Continens Encomiorum omnium in recentiorem Theologiam epitomen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73756

Visual Library

obtuſáque manibus exciderent, nec aliud exarmatis præſidium, niſi peruicacia, aut palinodia ſupereſſet. *tom.2. col. 43.c.18.*

Facultas Theologica Louanienſis anno 1519. *in decreto contra libros Lutheri, ita inquit*: Poſt exactam & diligentem examinationem cõperimus, præter inſignem detractionem Philoſophiæ & omnium Doctorum qui fuerunt ante annos quadringentos, etiam continere aſſertiones occultas falſas &c. Propter quæ cenſemus librum ipſum ac omnes & ſingulos tractatus eius, in quibus hæc vel horum aliqua continentur, damnandos.... igniq́ue cremandos.

CORONIS

Continens Encomiorum omnium in recentiorem Theologiam epitomen.

THeologia recens magnoperè ad humanę rationis modulum, & Philoſophiæ gentilis regulas concinnata.... tanto interuallo, ab Auguſtini Theologia diſcrepat; vt vel ipſe Auguſtinus, quantum hallucinari in grauiſſimis rebus poteſt, multipliciter hallucinatus ſit; vel ſi Auguſtinus diuinarum rerum veritatem, cùm de aliis multis capitibus, tum præcipuè de gratia & prædeſtinatione contra Pelagianos iuxta Catholicæ Eccleſiæ ſenſum docuit, Recentiores iſti profectò tantùm ab oſtio veræ Theologiæ, fide ſaluâ, aberrauerint; vt neque fidem Chriſtianam, (quam animo, vt Catholici tenent) neque ſpem, neque cupiditatem, neque charitatem, neque naturam, neque gratiam: eamq́ue neque Angelorum, neque hominum, neque ſtantium, neque lapſorum, neque ſufficientem, neque efficacem, neque operantem, neque cooperantem, neque præuenientem, neque ſubſequentem, neque excitantem, neque adiuuantem, neque vitium, neque virtutem, neque opus bonum, neque peccatum, neque originale, neque actuale, neque meritum, neque mercedem eius, neque præmium, neque ſupplicium creaturæ rationalis; neque beatitudinem, neque miſeriam eius, neque liberum, neque ſeruum arbitrium, neque prædeſtinationem, neque effectum eius, neque timorem, neque amorem Dei, neque iuſtitiam, neque miſericordiam eius; denique neque vetus, neque nouum Teſtamentum intelligere videantur: ſed Babylonicam quamdam confuſionem, Cimmeriaſq́ue quaſi tenebras in Theologiæ moralis faciem, nimium ratiocinationibus indulgendo, intuliſſe. *tom.2.col.* 61.*&* 62.

Dicat rogo Ianſenius (qui ſolus ſibi videtur nouiſſe omnia) nihilne ſuperſit alicubi, quod Theologia recens intelligat?

CENSV-